

ti bene cocto & purificato, & pineis mundatis conficitur, & posteaquam concreuit, in buccellas siue frustula redigitur. Cuius in detergendis pulmonibus, sputo promouendo, & etiam renibus abstergendis, vsus est. Parari etiam potest hoc modo:

℞. Nucleorum pini ℥ iij.
 amygdal. dulcium excortic. ℥ ij.
 pistacior. ℥ i.
 folior. rosar. rub. ℥ j.
 santali, citrini & cinamomi an ʒ. ss.
 sacchari in aq. rosar. soluti q. s. f. pasta.

De Leucophago.

C A P. XXXVII.

Remedium leucophagum, à colore dictum, & à recentioribus inuentum, ex amygdalis dulcibus expurgatis, in aqua rosar. maceratis, carne caponis elixa, in mortario quam diligentissime contusa, per setaceum traiecta, cum tantillo amyli ad consistentiam, & saccharo, quæ omnia simul coquuntur; paratur: & ad corporis absorptionem, phthisin & virium prostrationem vtilitur. Quod si ventriculi intemperies frigida adsit, vinum album, & cinnamomum, addi poterunt. Sic in alui profluuio quocunque puluis vtriusque coralli, lapidis hæmatitidis admisceatur, & in formam solidiorem cum iure carniarum concreto, quod Gelatinam nominant, confici poterit. Sic quoque Gelatina ex solo succo carniarum expresso paratur: Item ex oriza elixa stacte & thorace caponis